Quodlibetaria Quaestio agitanda In Scholis Medicorum die 3a Decembris.

M. Joanne Duchon Moderatore.

An Calida et humida Corpora omnium optime nutriantur?

Nutritionem Corporis humani dum ad extremum usque vitae durantem natura molitur alimenti parti nutriendae dissimilis mutationem coctionemque perfici in tribus instrumentorum generibus; quae vel ciborum alterationi, vel excrementorum retentioni, et eorum expulsioni, vel denique succi melioris ana- be storis modo diffusum excipitur, ac demum suarum fibrarum ope cum quadam partis assimilatione, cui et substantia idem et qualitate similis officii debite agglutinatur. Ipsum autem postquam in ore, ventriculo, intestinis, hepate, venis varie mutatum est sic tandem in singulis corporis partibus conficitur.

Ergo nutritionem, quam nec aer, nec aqua, nec alio simplici corpore fieri potest, varia et multiplex necessario praecedit ciborum concoctio. quae quoniam frigidum habet inimicum vitiatur facile, partibus quae ad coctionem pertinent refrigeratis, innato vero calore deficiente. qui si imbecillior ut in senibus, aut vehementior ut in febribus colliquantibus aut contagione quadam consumptus fuerit ut in atrophia et ulcere pulmonum nata, dissipari profecto, ac minus bene nutriri corpora contingit.

Humidum Primigenium quod in solidis partibus residet, nec ab insito, proprioque calore ut a flamma liquorem congenitum absumitur, vitae nostrae fundamentum est, pinguem ac veluti oleosam naturam habens. Id vel longo amoris decursu, vel largiore seminis emissione, vel febribus ardentibus, vel denique alia occasione si damnum acceperit nullo alimento, nimio somno vel balneo instaurari potest ut cum aqua humorem frigidum, et corruptioni et exsiccationi obnoxium non imitetur difficilius multo quam hac refrigerari, et exsiccari sola.

Itaque pueri cum corpora calidissima, humidissimaque habeant non modo caloris, sed etiam augmenti causa plurimum requirunt alimentum, et a longis inediis non parum offenduntur. Contra vero in senibus, quia dissimilem habent naturam fieri videmus. aetate autem florescentes, qui pueris calidiores sunt, et propter suam intemperantiam plurimis morbis opportuniores, ut facilius quam pueri, sed difficilius quam senes inediam ferunt.

Verum quemadmodum hyeme corpora non solum cibos melius conficiunt, sed etiam laudabiliorem sanguinem, ac nutrimenti magis idoneum gignunt: sic aestati homines debilius coquunt alimentum: proinde uberiorem cibum illo tempore dare oportet, hoc vero pauciorem. Vere autem quo laxari, et rara fieri corpora incipiunt, ut autumno cogi et condensari, quoniam medio est inter extrema temperamento mediam quoque victus rationem requirit.

Corpora Igitur Calida, Et humida omnium optime nutriuntur.

Proferebat Lutetiae M. Joannes de Vermeil Lutetianus. Anno Domini M.D.LXIII.

Domini doctores disputaturi.

M. Simon Seguyn.
M. Philippus Allen.
M. Claudius Variquet.
M. Guillelmus Planeius.
M. Dionysius Milet M.R.
M. Ludovicus Cochin.
M. Joannes Huguet.
M. Olivarius de Violaines.
M. Gerardus Denisot.

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE